



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 De veritate verborum, cum non supponant consecrationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

quæ sit in sacramento, vt sensus sit: Qui pro vobis effundetur: id est, ad bibendum dabitur separatim à corpore ex vi verborum: vel certe, vt referatur ad effectum: quia cum sanguine Christi abluiamur, quado illū suscipimus, merito pro nobis effundi dici potest: quæ expositio indicatur de consec. d. 2. c. Si quotiescunque. ex Ambros. libr. 4. de sacra. vit. & eam videtur probare Cano. 12. de locis, c. 12. Melius Iansen. ca.

*Ambrosius.
Cano.
Iansen.*

121. concord. dicit, effundi in sacramento, non esse dari ad bibendum, seu in nobis infundi: hoc enim modo non effunditur, sed de se supponit potius peccata remissa. Igitur effundi in sacramento, est, offerri & libari Deo in sacrificium. Cui expositioni fauet, quod in Græcis codicibus de præsentate legitur (effunditur) & præsertim apud Lucam: non solum dicitur sanguis effundi, sed calix, quod proprie indicat effusionem sacramentalem. Et ita etiam in præsentate legitur in VII. Synodo, act. 6. tomo 3. in fine, legisse etiam ita videntur Theoph. Euthym. & alij Græci. Secunda expositio, quæ communior, sine dubio, magisque literalis est, Christum fuisse locutum de cruenta effusione, quæ, quia iam proxime instabat, de præsentate etiam significari potuit: quamquam recte Vulgatus interpres ad exprimendum sensum magis literalem, de futuro verterit: & ita legitur & exponunt, non modo Latini: Patres, sed etiam Græci, Basil. Damasc. Chryl. superius citati, & Scholastici, præsertim D. Thom. ar. 3. sequente. Hac ergo expositione supposita, ad Durandi argumentum responderi potest, primo, sicut loquitur Sacerdos in persona Christi, ita sua intentione fieri præsentat illi tempori, in quo Christus illa verba protulit; atque ita illa verba de futuro referri ad tempus, pro quo dicta fuerunt; sicut nunc interdum orat Ecclesia. Veni Domine, & noli tardare. Sed hoc non placet, quia est sensus valde metaphoricus: & solum est verus per quandam repræsentationem, & multum potest derogare veritati huius sacramenti: nam similiter posset quis dicere, illa verba: Hoc est corpus meum, non referri ad præsentem tempus, sed ad illud, pro quo Christus illa protulit. Verius ergo dicitur, illa verba de futuro non esse de essentia formæ, & ideo non proferri formaliter, sed materialiter tantum, sicut enim verba, quæ proxime præcedunt (Accipite & comedite) quia non sunt de essentia proferuntur tantum materialiter & immediata, post illa Sacerdos induit personam Christi, & iam non tantum recitativè, sed formaliter loquitur, ita finit essentialibus verbis formæ deponit personam Christi, quia iam expleuit munus, quod sub ea ratione exercebat, & materialiter tantum sensum, recitationemque prosequitur. Neque est inconueniens, in eodè contextu orationis, quædam verba intermedia significatiue proferri, cum antecedentia & subsequentia solum proferantur materialiter: quia tota illa oratio continua vnum integrum sensum reddit: quia omnia verba recitatiue proferuntur; quædam tamè ex illis sumi possunt ultra hunc sensum significatiue propter mysterium, quod operantur, & hoc nullam parit confusionem, vel æquiuocationem: quia ratio ipsius mysterij, & intentio sacerdotis exterioribus signis indicata vtrumque sensum facile admittit.

*7. Synod.
Theophyl.
Euthym.*

D. Thom.

Vnde ad fundamentum secundæ opinionis negatur, esse impossibile idem verbum proferri recitatiue & significatiue, quando vtrumque potest cadere sub intentionem loquentis, & accommodari verbis, vt, si quis dicat, Christus docuit orare, dicēs (Pater noster, &c.) potest simul recitare factum Christi & orare; & ita secundum diuersos respectus potest loqui in persona aliena, & in propria; in propria quatenus verba alterius refert; in aliena quatenus personam alterius induit, & repræsentat; vt, si Regium consilium hoc modo sententiam proferat his vel similibus verbis. Nobis iniunctum est, vt sententiam feramus: dicentes, Ego Rex in hac causa dico, &c. Aliud exemplum est, si quis ita loquatur: Aristot. dixit, quod ego etiam

dico, Mundus fuit ab æterno: ille simul recitatiue proferret illa verba, mundus fuit ab æterno, & significatiue: nam sic loquendo hæreticus esset. Hoc ergo non est impossibile: & ita in proposito sit ex intentione Sacerdotis, qui intendit, & verba Christi referre, & circa materiam sibi præsentem significare & facere effectum similem illi, quem Christus effecit & significauit. Dices, illum duplicem sensum recte coniungi, quando in vtroque verba habent eandem omnino significationem, vt seruatur in omnibus exemplis: hic vero habet specialem difficultatem, propter pronomen illud (Hoc) quod aliud demonstrat in ore Christi, aliud in ore Sacerdotis: Respondetur, satis esse, verba esse eadem & eiuſdem formalis significationis, & demonstrare idem proportionaliter, scilicet corpus Christi, vt contentum sub speciebus, præsentibus, repletur. Vnde non repugnat, Sacerdotem simul, & eodem verbo referre, Christum dixisse: Hoc, quod sibi erat præsens, esse corpus suum: & simul affirmare, hoc, quod sibi est præsens, esse corpus Christi: præsertim, quia illa verba: Hoc est corpus meum: considerari possunt, vel continuata cum præcedentibus, vel præterite, & absolute, ac si sola dicerentur: & priori modo tenent materialiter, posteriori vero formaliter.

SECTIO V.

Quomodo sint vera verba formæ, si quidem non supponant consecrationem factam.

Hanc quæstionem attingit Diuus Thomas, artic. 5. sed quia communis est vtriusque formæ, & ad eam intelligendam necessaria, necesse est illam hoc loco expedire. Ratio igitur difficultatis est, quia verbum, (est) indicatiui modi, coniungit extrema pro tempore, in quo proferitur: ergo si in illo instanti non est facta consecratio, non erit vera illa propositio: ergo, vt sit vera, oportet, vt, cum incipit proferri, supponatur consecratio facta. Maior patet, quia copula de præsentate non indicat tempus præteritum, vel futurum, sed illud, pro quo proferitur. Vnde non videtur satis facere communis responsio, scilicet, ad veritatem illius propositionis satis esse, quod in primo non esse verborum, ita sit, sicut per illam significatur; quia illud instans non est præsens, sed futurum, respectu talis locutionis. Et patet ex exemplo, nam, si quis diceret (Hoc est album) de re, quæ erat alba, quado copula prolata est, verum diceret, etiam si contingeret in fine verborum rem illam iam non esse albam: è contrario vero, si tempore, quo propositio proferretur, non erat alba, licet in fine sit alba, propositio esset falsa: quia iam tunc propositio, nec est, nec significat. Propter hanc difficultatem dixerunt quidam Theologi, propositionem illam nude & ex vi verborum consideratam esse falsam: ex intentione tamen proferentis habuisse veritatem, quia reulit significationem illius verbi (est) id illud instans, in quo iam propositio non erat. Ita sententia videtur Scot. in 4. d. 9. qu. 2. art. 3. §. Aliter ergo, & Gabr. lectio. 4. 8. in Cano. litera R. Marfil. in 4. q. 6. art. 1. Maior. distinct. 8. quæst. vnica.

Hæc vero sententia, vt proposita est, nullo modo probari potest: nam verba illa Christi in omni rigore, & proprietate, vera esse oportet: quia, si locutio non sit vera in propria verborum significatione, quæ habent ex institutione sua, & communi vsu, non fiet vera propter solam intentionem loquentis: quid enim refert intentio, nisi verbis ipsis verus sensus exprimitur? & fortasse Scotus & Gabr. non aliter censuerunt, vt explicabimus.

Secunda opinio dicit, illam locutionem esse veram: quia sensus illius est: hoc est, vel, proxime futurum est corpus meum. Ita Richardus distinct. 8. articulo 3. quæstio 1. ad 5. Sed etiam displicet; cum quia verbum, (est) in rigore non significat illam distinctionem, sed tantum de præsentate: cum maxime, quia iuxta illam

interpretationem non potest ex veritate verborum colligi, Christum esse presentem in hoc sacramento in fine prolationis verborum: quod est contra Concilium Tridentinum. Sequela patet, quia illud membrum distinctionis, vel proxime futurum est, satis potest ampliari.

3. Sententia. Tertia sententia est, illam locutionem esse veram, quia in primo non esse illud, ita est, sicut per illam significatur, licet antea non fuerit: & hoc satis esse in omni rigore & proprietate ad veritatem cuiuscunque propositionis de presente, quia tota significatio huiusmodi propositionis refertur ad instantis, quod est terminus prolationis eius: quia ante illud non est completa, cum pendeat ex prolatione omnium dictionum sic coniunctarum: vnde ante illud instantis, significatio est quasi inchoata & incompleta, & suspensa, vt exemplis facile declarari potest, vt, si quis dicat: Adam est mortuus, verum dicit: & tamen illa propositio non potest esse vera, cum proferatur copula: nam potius, si sibi silarur, erit falsa, quia significabit Adam esse: est ergo significatio, & veritas suspensa, donec absoluitur per dicitur: & idem est in presente, nam cum dicit Christus. Hoc est corpus, ad huc erat suspensa significatio: quia posset adiungere aliam determinationem, scilicet, Petri, vel, Paali, erdo, donec absoluit (meum) suspensa erat significatio: completur ergo in primo non esse verborum. Ita Ocham quodlib. 2. q. vi. & quodlib. 30. qu. 11. Quae opinio, quo ad rem Theologicam pertinet, veritatem continet, sed modus explicandi displicet. Primum, quia aliud est, significationem propositionis compleri in fine prolationis eius, & tunc incipere esse veram & fallam: aliud vero est totam significationem propositionis, & copulae referendam esse ad illud instantis: primum enim est verissimum & recte explicatum: quia vt Aristotel. dicit, primo de Interpret. copula significat compositionem, quam sine extremis non est intelligere, secundum vero non est vniuersaliter verum, quia non semper vniuntur extrema pro illo instanti, sed pro alio tempore, vt in propositionibus de praeterito, aut de futuro plane constat, & in propositionibus de presente patebit ex dicendis. Deinde non placet, quod illud instantis vocetur, primum non esse propositionis: quia cum propositio in illo instanti incipiat esse vera, oportet, vt in eo aliquo modo sit.

In illis sententia... Quocirca, vt rem breuiter explicemus, suppono Primo, instans in quo consummatur sensus propositionis, esse aliquo modo intrinsecum ipsi propositioni, ita vt in illo vere sit, imo potius primum in quo incipit esse absoluta propositio. Ita D. Thomas hic. artic. 5. ad 3. & in 4. distinct. 8. quaest. 2. artic. 3. ad 6. & 7. & Caietan. hic. Et probatur argumento factum: quia propositio in eo instanti incipit esse vera, vel falsa, quia veritas indiuisibiliter confurgit ex tota significatione & vnioue extremorum: ergo in illo instanti est, seu incipit esse propositio. Patet consequentia: tum, quia non est propositio donec verum vel falsum significet: tum etiam quia veritas inest propositioni, vt subiecto: praeterea magis physice hoc declaratur, quia propositio vocalis, de qua loquimur, est sonus articulatus, qui licet successiue causetur ex motu labiorum, & linguae, tamen in instante terminatur, ita vt tantus sonus, vt sic, incipiat esse in instante, sicut tantus calor, vel tantus ignis, & in vniuersum terminus tantae quantitatis, qui in instante pericitur, propositio autem tunc primo existit, cum tantus sonus articulatus est, in quo instante ad huc ille sonus durat, & habet esse, ergo etiam propositio in illo instante realiter existit. Quod tandem confirmatur ex effectibus, quia in eo instante mouet intellectum, illique obicitur, vt proprium eius conceptum formet, quia tunc primo complete significat, sed haec sunt proprietates rei existentis, ergo in illo instante realiter existit propositio. Denique su- Fr. Suarez. Tom. 3.

praegentes de sacramentis in genere ostendimus, formas sacramentorum, quae sunt propositiones quaedam, habere esse in instanti, quo consummantur. Vnde facile soluitur obiectio, si quis dicat, res successiue incipere per vltimum non esse, & desinere per primum non esse. Dicendum est, illud esse verum in rebus, quae consistunt in continua quadam successione: esse aut propositio non esse huiusmodi, sed potius incipere, quando successio terminatur, praesertim quia sonus, licet successiue fiat, cito transeat, non tamen omnino in successione consistit, sed potest interdum habere plures partes simul durantes.

Secundo suppono, verbum (est) indicare tempus praesens: quia tum tempus non est praesens secundum aliquam partem diuisibilem, nisi ratione instantis, ideo ad illius verbi significationem, & ad veritatem propositiois ex tali verbo compositae, satis est vnum instans, quia quod in instante est, vere ac proprie esse dicitur. Quapropter ad veritatem huiusmodi propositionis de Indicatione, non est necesse, vt significatum eius pro aliquo tempore successiue existat, nisi interdum specialis significatio verbi, & aut praedicti hoc requirat, generatim tamen loquendo satis est, quod in aliquo instante sit: nam licet huiusmodi propositio successiue & in tempore a nobis proferatur, quia non possumus, nisi per motum loqui, tamen per hanc successiuam locutionem explicare possumus id, quod in instante sit, aut existit. Quod autem oporteat esse hoc instans, pro quo veritas propositionis de presente metienda est, non facile explicatur, nec videtur posse in omnibus verbis seu propositionibus, eodem modo, declarari: quia, licet omnium propositionum veritas in instante terminante propositionem esse incipiat, non tamen semper ab illo instante mensuratur. Nam in primis

Verbum, est indicat tempus praesens est ad eum veritatem satis est vnum instans.

De variis modis, quibus verificatur verbum, est. verba significantia motum, qui successiue fit, non possunt nisi tempore mensurari. Deinde quaedam sunt verba, quae, dum proferuntur, proprie verificantur, vt in hac propositione (ego loquor) quae dum proferitur quasi per se ipsa vera est, alia aut sunt verba, quorum veritas mensurari non potest pro tempore vel instante, quo proferuntur, sed pro immediate antecedente, vt sequente, iuxta intentionem loquentis vt in hac propositione (ego taceo) nam, cum quis illam profert, tacere non potest. Vnde sensum eius esse oportet: haecenus tacei (vel) iam tacere incipio: & idem iudicium est de: ego dormio, ego bibo: & similibus, quae significant actum, vel priuationem locutioni repugnantem, imo ex accommodatione vsus solet hic sermo ad alia verba extendi, vt si dicas: ego venio: id est, statim venia: ego eo: (id est) statim ibo. Alia denique sunt verba quorum veritas pro vno instante existit, vel existere potest, vt sunt illa, quae non significant motum sed vel actionem instantaneam vel existentiam rei permanentis, & ad id existimo in omni proprietate & rigore sermonis sufficere quodlibet instans eorum quae coexistunt prolationi propositionis, vt ex illo possit veritas propositionis mensurari: quia nullum tempus potest ad hominem magis praesens designari, & ad illam praesentiam sufficit vnum instans, siue illud continuatiuum sit, siue terminatiuum propositionis & fortasse etiam initiatiuum sufficit: quia, si res existit, cum homo incipit loqui, vel dum loquitur, satis proprie affirmare potest, rem illam esse. Quocirca, sicut in propositione indefinita, & termino communi constante, vt vera sit, satis est, vt verificetur pro vno singulari, quodcumque illud sit, ita vt haec propositio indicantis modi, de presente sit vera, sufficit vnum instans prolationis, quodcumque illud sit: & intra hanc latitudinem potest valere intentio proferentis, vt ad vnum, vel ad aliud instans dirigat sui sermonis significationem, praesertim, quia vltimum instans propositionis aliquo modo pendeat ex intentione proferentis, quatenus potest addere praedicto vnam vel alteram determinationem,

Ooo tionem,

uationem, à quib. pendeat sermonis veritas, quæ nulla est, donec extrema propositionis sint integre prolata, quia (vt recte Caietanus dixit) sunt veluti suspensa, quatenus sunt partes talis compositionis: statim vero, ac prædicatum omnino absoluitur, incipit propositio suam veritatem, vel falsitatem habere. Quæ doctrina generalis esse mihi videtur, tam ad propositiones speculatiuas, quam ad practicas, seu operatiuas: quamquam multi Theologi inter eas diuersitatem constituunt, quod propositiones practicae verificentur pro vltimo instante, speculatiuæ vero pro instante, in quo incipiunt proferri, quia, cum tatum explicent mentis conceptionem, supponit iam rem conceptam esse. Ita videre licet in Palud. d. 8. q. 3. art. 1. conclus. 3. Capreol. ibi ad primum contra 1. conclus. Ferrar. 4. contra gent. c. 63. in fine: sed, quod dixi, est magis consentaneum D. Thomæ citatis locis, & ita sentiunt Caietan. Soto, & alii; & ex discursu facto satis patet, & in præsentem mysterio declarari potest: nã, si eodem tempore, quo Sacerdos dicit: Hoc est corpus meum; dicat laicus: Hoc est corpus Christi, quamuis sermo vnus sit operatiuus, alterius vero solum speculatiuus, seu ostensiuus, vterq; tamen verus est: quia in instante, in quo vtraque propositio absoluitur, habet conformitatem cum re, quam significat: solum est differentia, quod quando locutio est operatiua, ipsa facit suam veritatem, non vero quando est tantum ostensiuua. Vnde etiam fit, vt, quando locutio est operatiua seu conuersiua, necessario referat suam veritatem totam ad vltimum instans, quia in eo operatur, & non antea: quando vero locutio est speculatiua, de se non determinatur ad illud instans, sed est indifferens vt pro ratione rei significatæ in vno, vel alio instante verificetur, & hoc sensu accipienda sunt, quæ Caiet. hic docet, & eadem fere sentit Gab. & Scot. nõ contradicunt, & eandem doctrinam videtur amplecti Carth. d. 10. q. 5. Ledef. q. 19. ar. 5. dub. vlt.

Ex his ergo facillime explicari potest, quo sensu locutio illa Christi vera esse potuerit: nam in primis ad eius veritatem necessarium fuit, vt saltem in vltimo instante prolationis ita esset, sicut per illam significabatur. Deinde constat etiam ex dictis, hoc satis fuisse ad illius propositionis veritatem, imo nõ potuisse aliter propositionem illam verificari, quia erat locutio practica & conuersiua. Dices, quid, si Deus in illo instante impediret conuersionem? Dicunt aliqui, etiam tunc futuram propositionem veram, quia sensus est. Hoc est corpus Christi ex vi verborum, si aliunde non impediatur: sicut est etiam vera propositio: Ego te absoluo: Et si propter impedimentum non maneat pœnitens absolutus. Sed illa hypothesis cõtradictionem inuoluit, supposita Christi locutione, & institutione: quia sicut impossibile est, Christum mentiri, ita impossibile est, ipso dicente, Hoc est corpus meum: Deum impedire conuersionem, vel ad illam non concurrere. Vnde ego existimo, posita illa hypothesis, propositionem tunc esse falsam, quia sensus illius nõ est vllõ modo cõditionatus, sed omnino absolutus, simpliciter significas, hoc ita esse, & similiter institutio, & efficacia horum verborum est simpliciter absoluta, & infallibilis, si à debito ministro, debita intentione, & super debitam materiam proferantur.

SECTIO VI.

An practica Christi verba ratione suæ veritatis hoc mysterium perficiant.

EX dictis sectione præcedente dubium inter Theologos controuersum oritur, an illa verba efficiant conuersionem, vt vera. Et est ratio dubii, quia si efficiunt conuersionem, prius natura sunt, quam corpus Christi sit sub speciebus, cum prius natura efficiant, ergo efficiunt prius natura, quam sint vera, quia non

sunt vera, donec Christus intelligatur sub speciebus, quia veritas consistit in conformitate ad rem significatam: vnde non potest esse prior natura, quam illa, sicut non potest esse relatio prior natura, quam terminus. In contrarium vero est, quia, si verba non efficiunt vt vera, efficiunt vt falsa: patet sequela, quia efficiunt, quatenus significant: ergo prius natura significat, quam efficiant: ergo in illo priori natura significant vere vel falso, quia necesse est significationem terminari ad rem significatam: ergo, vel terminatur ad illam, vt est in re, & sic erit vera, vel non & ita erit falsa.

Ad hanc difficultatem aliqui dicunt, verba non prius natura significare, aut esse vera, vel falsa, quam efficiant, quia significatio, cum sit tantum extrinseca denominationi in verbis, non potest esse ratio agendi, & ideo, quamuis verba, que significant, efficiant, non tamen efficiunt, quatenus significant, ac propterea, quamuis verba, quantum ad realem entitatem suam, prius natura sint, quam efficiant, non tamen prius natura significant, quia significatio concomitanter se habet ad efficientiam, non casualiter. Sed hæc responsio fugit potius, quam declaret difficultatem: quia, licet verba non efficiant physice per significationem, sed per suam entitatem, significationem tamen est aliquo modo conditio ex parte diuine institutionis præuia, & necessaria ad illam causalitatem: est enim conditio, sine qua Deus non vteretur verbis, vt instrumento. Hoc ergo modo dicendum est, verba prius natura significare, quam efficiere. Et confirmatur primo, quia sacramentum prius natura est sacramentum, quam efficiat: ergo prius natura est signum: ergo, cum hæc verba sint sacramentalia, prius natura significant, quam efficiant. Confirmatur etiam ex distinctione communi Theologorum, & Concil. Trident. quædam in hoc sacramento heri ex vi verborum, quædam per concomitantiam, quæ distinctionis membra ex significatione verborum distinguuntur, ergo ordine natura supponitur significatio ac efficientiam, & est velut ratio & mensura eius. Dicunt aliqui, has rationes procedere de significatione in actu primo, non vero in actu secundo. Sed non video, quomodo possit hæc distinctio præsentis instituto, accommodari, quia supposita institutione verborum, & debita eorum prolatione, nõ apparet quomodo in eis possit distingui significatio in actu primo & secundo, nisi actus secundus vocetur actualis motio alicuius intellectus ad cognoscendam rem significatam. Sed hæc est impertinens, quia neque est necessaria ad rationem sacramenti, neq; ad efficientiam: significatio ergo, de qua loquimur, tantum consistit in apertitudine, quam res habet ex impositione ad representandum aliquid: non est ergo in ea distinctio actus primi & secundi.

Secundo ergo Soto supra respondet; conuersionem panis & veritatem verborum ad inuicem esse priorem & posteriorem in diuersis generibus causarum, nam conuersio, inquit, est prior in genere cause materiale, veritas autem est prior in genere cause efficientis, & exemplum ponit in apertione fenestras, & ingressu aeris. Sed hæc doctrina, & generaliter obscura est, & illo exemplo non bene explicatur, nam licet impulsus aeris sit prior in genere cause efficientis, quam apertio fenestras, tamen ingressus aeris non est proprie prior in illo genere. Ac denique quicquid sit de aliis materiis, in præsentem non bene accommodatur, neque expedit difficultatem positam: quia cum veritas consistat in adæquatione ad rem, non potest esse causa efficiens sui termini, nec prior natura illo in aliquo genere cause: quia relatio nullo modo potest esse prior natura suo termino. Dicunt aliqui, cum veritas sit relatio rationis, nihil oblatæ, quominus intelligatur prius natura, quam terminus eius. Sed hoc dici non potest de propositione signifi-

Palud. Capr. Ferrar.

Gabr. Soto. Carth. Ledef.